





10  
A  
66

OU Kpi  
8

Y 9 4 8  
G 11





2

PHYSICI SCEPTICI  
*Hoc est*  
DISQVIVITIONVM

de præcipuis controversiis inter ARISTOTE-  
LEM & CARTESIUM vulgò habitos Philosophiæ  
veteris & novæ Principes, hoc tempore agitatis  
CONTINUATIO

PRIMA,

*Quam*

*Aspirante propitii Numinis aura*

Sub UMBONE

VIRI Nobilissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi,

DN. HENRICI MAJI,

Med. Doct. ejusdemque & Physices Professoris

Ordinarii, nec non Celsissimi Principis Hasso-Cassellani

Archiatri, atque Facultatis Philosoph. p.r. DECANI, Domini

Præceptoris, Patroni & Promotoris sui, eâ, quâ par  
est, animi observantiâ perpetuo  
colendi,

*In Collegio ad Nudipedes, quod est Philosophorum,*

*Ad diem 3. Martii horis consuetis,*

*Exercitii causâ publicè defendet*

MATTHÆUS GUDENUS,

HASSO-HOMBERGENSIS.

MARBURGI CIATTORUM,

Typis SALOMONIS SCHADEWITZ II, Acad. Typogr.

Anno 1677.



PHYSICI SCPTICI

RE. 12

DISQUISITIONVM

de principis controversiis inter ARISTOTE-

LEM & CARTESIIUM videri solent Philosophis

reversantibus Philosophis hoc temporis aetatis

CONTINUATIO

PRIMA

Apparatus propositus Nuncius

Sub Urbone

Viri Nobilissimi Excellentissimi ac Reverendissimi

DN. HENRICI MAI

Medici & Academiæ & Physicæ Professoris

Ordinarii, nec non Collegii Praesidis H. B. C. A. C.

Archicamerarii, Facultatis Philosophicæ, Juris &

Prætoris, Patris & Praesidis Collegii

est, animi rectoris & personae

colendi.

In Collegio ad Hospitalis partem H. B. C. A. C.

Ad hanc & hanc partem

Matthæus Gudenus

Classico-Historicus

MARBURGI CAETORUM

Typis ALONNENSIS SCHOLAE VITAE & MORTIS

ANNO 1677





Σὺν ἀγαθῷ τῷ Θεῷ.

SCEPTICI PHYSICI

DISQUISITIONIS II.

DUBIUM IV.

*De Natura, Efficiente & Fine.*

ARISTOTELES.

**N**Am ea quæ natura constant principium in se ipsis univèrsa motus statûsve, partim ejus, qui loco accomodatur, partim accretionis, decretionisve, partim alterationis habere videntur. At lectica, vectis & quicquid sit aliud similis generis, quo quidem hujuscemodî nominibus appellantur, atque ab arte sunt hoc nullum principium mutationis insitum habent. Quo verò ipsis accidit, ut sint lapidea vel terrea, vel ex his mixta, eò motus quietisve principium habent. Quæ cum ita sint *patet naturam principium esse quoddam, & causam, ut id moveatur, atque quiescat, in quo primò per se, & non per accidens inest*; dico autem *non per accidens*, quia sibi ipsi quispiam Medicus sanitatis causa fieri potest. Attamen non quò sanatur, eò medicinam habet, sed accidit ut idem sit Medicus, subiensque sanationem, quapropter & separantur nonnunquam, similiter se se habet & unum quodque cæterorum quæ per artem efficiuntur: nihil enim ipsorum effectio- nis in se principium habet. Sed quædam in aliis atque extrinsecus habent, ut domus, & unumquodque eorum, quæ manu conficiuntur. Quædam in se ipsis quidem

A

id



id habent, non tamen per se, quæcunque causæ per acci-  
dens sibi fieri possunt. Id igitur est natura, quod dictum est.  
Naturam autem habent, quæcunque tale principium ha-  
bent; atque hæc omnia substantiæ sunt, subjectum enim  
quoddam & in subjecto est semper natura. *lib. 2. Phys. cap. 1.*

Uno itaque modo, causa dicitur id, ex quo quippiam  
fit eo pacto ut insit, ut æs statuæ, argentumque pateræ, &  
horum genera. Alio modo forma atque exemplar: hæc  
est autem ratio quidditatis, & hujus genera: velut ejus  
concentus qui sonos omnes complectitur: Ipsa duorum ad  
unum ratio, atque omninò numerus, itemque partes quæ  
in ratione sumuntur. Præterea id, unde primum princi-  
pium est mutationis aut quietis. Qualis est causa is, qui  
consult, & Pater Filii, atque omninò quod efficit, ejus  
quod efficitur, & quod mutat, ejus quod mutatur. Insu-  
per ut finis hic autem est cujus gratia cætera fiunt. *lib. 2.  
Phys. cap. 3.*

Et ipsum quid est, & forma: Est enim finis & id, gra-  
tia cuius cætera fiunt. Quare? cum alicujus gratia natura  
faciat, & hanc scire oportet, & ipsum propter quid omninò  
reddendum est *lib. 2. Phys. cap. 7.*

Dicendum est igitur primò quidem naturam ex iis esse  
causas quæ alicujus finis gratia faciunt. *Ibid. cap. 8.*

CARTESIUS.

Dum hæc perpendo attentius, occurrit primò: non  
mihi esse mirandum. Si quædam à DEO fiant quorum  
rationes non intelligam: nec de ejus existentia ideò esse  
dubitandum, quod fortè quædam alia esse experiar quæ  
quare, vel quomodo ab illo facta sint, non comprehendo;  
Cum enim jam sciam naturam meam esse valdè infirmam  
& limitatam: DEI autem naturam esse immensam, incom-  
prehen-



prehensibilem, infinitam, ex hoc satis etiam scio innumera-  
 abilia illum posse, quorum causas ignorem; atque ob hanc  
 unicam rationem, *totum illud causarum genus, quod à sine  
 peti solet, in rebus Physicis nullum usum habere existimo non  
 enim absque temeritate me puto posse investigare fines DEI.*  
*Meditat. 4. pag. 30.*

Ita denique nullas unquam rationes circa res natu-  
 rales à sine quem *DEVS* aut natura in iis faciendis sibi propo-  
 suit, desumemus quia non tantum nobis debemus arroga-  
 re, ut ejus consiliorum participes esse putemus: sed ipsam  
 ut causam efficientem rerum omnium considerantes, videbi-  
 mus, quidnam ex iis ejus attributis, quorum nos nonnul-  
 lam notitiam voluit habere, circa illos ejus effectus qui  
 sensibus nobis apparent, lumen naturale quod nostris indi-  
 dit, concludendum esse ostendat; memores tamen ut jam  
 dictum est, huic lumini naturali tamdiu tantum esse cre-  
 dendum, quamdiu nihil contrarium à DEO ipso revelatur.  
*Princip. Philos part. 1. num. 28.*

### SCEPTICUS.

Non unum aliquod aut simplex Aristoteli motum  
 est dubium super datâ Naturæ definitione, quam *acutissi-  
 mus ille Belgarum Philosophus Heerbordt* dicit esse admira-  
 bilem, non propter elegantiam sui aut perspicuitatem.  
 Sed verò propter sui difficultatem & obscuritatem. Imò  
*Celeberrimus ille per orbem Physicus Sperlingius* pronunciare  
 non dubitat: Singula hujus Aristotelicæ definitionis ver-  
 ba, singulas parere controversias; adeò ut quo quis plu-  
 res super ea legat Interpretes, eò vadat incertior: Neque  
 unquam quas ipsi inter se movent ea de re lites compo-  
 nendas credit, quod definitio hæc Naturæ Aristotelica in  
 omnes fermè bonæ definitionis condiciones peccet, uti

A 2

etiam



etiam per partes id nititur probare pluribus. *Instit. Phys.*  
*lib. 1. cap. 4. quest. 2.*

Contra verò alii existimant esse hanc Naturæ defini-  
tionem ab Aristotele allatam sic satis accuratam, quod  
probare conantur hoc modo: dicunt, Genus est *principium*,  
à natura enim fluit omnis corporum naturalium motus &  
quies. *Motus* hîc non strictè pro solo motu locali, sed latè  
pro quolibet motu sumi debet. Nec *quies* hic negativè,  
pro carentia motus, sed positivè pro carentia motus cum  
possessione termini sumenda. Tò ET, hic non disjuncti-  
vè, sed copulativè sumi debet, natura enim in communi  
considerata simul, (simultate potentix & non actus) mo-  
tum & quietem excitare potest. Dicitur, *eius in quo inest*,  
ut innuatur naturam esse principium motus & quietis in-  
ternum, non externum h. e. illud quod excitat motum esse  
in ipso corpore quod movetur, & non extra. Atque ita  
automata, quia sui motus principium habent ab artifice,  
vel alio aliquo motore, qui est extra ea, naturâ moveri dici  
non possunt. Tò primò requirit ut natura sit princeps cau-  
sa, atque ita excluduntur potentix, quæ quidem sunt cau-  
sæ motus, verùm non primæ, sed secundæ, naturæ enim  
sunt superadditæ. Tandem additur *per se & non per acci-*  
*dens*, ut excludatur ars, quæ dum sc. Medicus seipsum curat,  
est quidem causa sanationis existens in Medico, verùm,  
quia illi non per se, sed per accidens inest, natura non est.  
Tò *per se* hic sumitur primo perfectatis modo, natura enim  
est de essentia ejus quod movetur, & non proprietas. Pos-  
set ergò hîc vel simili modo salvari illa Naturæ definitio,  
verùm cum de naturæ quidditate Aristoteli non moveat  
litem Cartesius, ab instituto nostro esset alienum nunc latius  
de ea diffundere stylum. Neque etiam dum Cartesius  
DEUM

DEUM & Naturam tanquam Efficientes rerum naturalium agnoscit causas. Aristoteli quicquam videtur obloqui.

De *Fine* autem agitur calculus: Siquidem totum illud causarum genus quod à fine peti solet in rebus Physicis nullum usum habere, nec absque temeritate quem posse investigare fines DEI, id equidem durum videtur pronunciatum: cum ipsi nos subinde deprehendamus, singula corpora naturalia suum habere finem, & omnia esse propter *Hominem*, *Hominem* verò propter *DEUM*. Neque videtur hoc, omnium ferè Christianorum Physicorum decretum, ita simpliciter infringi posse ex eo, quod Cartesius Princip. Philos. part. 3. §. 2. dicit: *Nos de nobis ipsis nimis superbe sensituros, si res omnes propter nos solos à Deo creatas esse fingeremus; vel tantum. Si fines quos sibi proposuit in creando universo, ingenii nostri vi comprehendi posse putaremus. & uti §. 3. pergit. Quamvis enim in Ethicis sit pium, dicere, omnia à Deo propter nos facta esse, ut nempe tanto magis ad agendas ipsi gratias impellamur, ejusque amore incendamur. Ac quamvis etiam suo sensu sit verum, quatenus scilicet rebus omnibus, uti possumus aliquo modo, saltem ad ingenium nostrum in iis considerandis exercendum, Deumque ob admiranda eius opera suspiciendum. Nequaquam tamen est verisimile, ista omnia propter nos facta esse, ut nullus alius sit eorum usus. Essetq; planè ridiculum & ineptum, id in physica consideratione supponere; quia non dubitamus, quin multa existant, vel olim extiterint, jamque esse desierint qua nunquam ab ullo homine visa sunt aut intellecta, nunquamque ullum usum ulli prabuerunt. Ecquis enim physicorum unquam dixerit res omnes propter nos solos à Deo creatas esse, fateor me ignorare, qui è contra ex meo Sperlingio didici Finem omnium corporum naturalium alium esse universalem, eumque talem vel absolute vel respe-*

*Etivè, alium particularem, quam divisionem si accommode-*  
*mus citatis ex cartesio verbis parum remansarum difficul-*  
*tatis existimamus. Siquidem huc non inscitè. Scaliger*  
*Exerc. 250. Sect. 1. ait: Dico rerum omnium omnes species pro-*  
*pter hominem conditas esse, etiam cælos ipsos apud vos Astrolo-*  
*gos. Quid enim gubernarent, si te non gubernant, Musicam ne-*  
*quaquam: Præterea factio homine quievit DEVS. Tum etiam*  
*Sabbatum factum est propter hominem, non autem homo pro-*  
*pter Sabbatum. Sed & propter hominem Homo DEVS factus*  
*est. Hactenus Scaliger. Et quamvis (quæ nostra est cæci-*  
*tas) admodum sit obscurum, quomodo omnes corporum*  
*species humano inserviant usui, in eo tamen potius nostra*  
*accusanda videtur ac deploranda infirmitas, quam teme-*  
*ritas: è contra autem tanto magis deprædicanda veniet*  
*DEI benignitas, utpote qui in rebus producendis corpo-*  
*ribus naturalibus seu rebus physicis certum ac determina-*  
*tum finem non solum habuerit, sed eundem etiam in suo*  
*verbo nobis abundè patetecerit. Sic enim DEVM hominem*  
*suis operibus præfecisse, apertis verbis dicitur Gen. 1. v. 28. item-*  
*que Psalm. VIII. v. 4, 7. Eundem hominis usibus destinasse*  
*cælum & terram probat Oseas c. XI, v. 21, 22. Psalm. CXV,*  
*v. 26. Matth. XXV, v. 34. ideoque gementem creaturam sub*  
*onere vanitatis cui facta est obnoxia per hominum peccata exspe-*  
*ctare avidè redemptionem ultimam filiorum DEI, dicit Aposto-*  
*lus Rom. VIII. v. 20, 21, 22. Sic fidelium omnia esse, inquit idem*  
*1. Cor. III. v. 21, 22, 23. Quæ equidem ipsius DEI testimo-*  
*nia cum sint in se satis clara; quidni liceat homini Christia-*  
*no investigare fines DEI in producendis creaturis visibili-*  
*bus, cum ipse DEUS eosdem proposuerit, non videmus.*  
*Etsi enim non negemus temeritati posse adscribi si scruta-*  
*ri velimus fines & consilia DEI, quæ nobis non revelavit,*  
cùm

190  
cū tamen hoc DEI consilium, quod DEUS creaturas  
visibiles & corpora in universum naturalia nostris usibus de-  
stinare & impendere voluerit. Satis nobis sit revelatum,  
uti probavimus ante, ex eo potius ingentem & amplam  
DEUM celebrandi materiam arripi posse, quam temerita-  
tis dicam scribi, *immortali* dabimus *Maresio*, cujus incompa-  
rabilis Viri verba facere nostra ducimus laudi.

#### DUBIUM V.

#### *De Quantitate.*

#### ARISTOTELES.

Quantum autem aliud est discretum, aliud continuum,  
Discretum est ut numerus & sermo. Continuum est,  
ut linea, Superficies, CORPUS, ac præterea locus & tem-  
pus. *Isagog. cap. 6.*

#### CARTESIUS.

Ac denique planè repugnat aliquid nova Quantitate,  
vel nova extensione augeri, quin simul etiam nova substan-  
tia extensa, hoc est novum corpus ei accedat: Neq; enim  
ullum additamentum extensionis vel quantitatis, sine ad-  
ditamento substantiæ, quæ sit quanta & extensa potest in-  
telligi, ut ex sequentibus clarius patebit. *Princip. Philos. part.*  
*2. num. 7.*

Quippe *Quantitas à substantia extensa in re non differt,*  
*sed tantum ex parte nostri conceptus, ut & numerus à re nume-*  
*ratâ.* Ita scilicet ut totam naturam substantiæ corporeæ,  
quæ est in spatio decem pedum possimus considerare,  
quamvis ad istam mensuram decem pedum non attenda-  
mus; quia planè eadem intelligitur in qualibet istius spa-  
tii parte ac in toto: Et vice versâ, potest intelligi numerus  
denarius, ut etiam quantitas continua decem pedum, et si  
ad

ad istam determinatam substantiam non attendamus. Quia planè idem est conceptus numeri denarii, sive ad hanc mensuram decem pedum, sive ad quidlibet aliud referatur; Et quantitas continua decem pedum, etsi non possit intelligi sine aliqua substantia extensa, cujus sit quantitas, potest tamen sine hac determinatâ. In re autem fieri non potest, ut vel minimum quid ex ista quantitate aut extensione tollatur, quin tantundem etiam de substantia detrahatur: nec vice versâ, ut tantillum de substantia detrahatur, quin tantundem de quantitate ac extensione tollatur. *Ib. no. 8.*

Et quamvis fortè nonnulli aliud dicant, non puto tamen ipsos aliud ea repercipere; sed cum substantiam ab extensione aut quantitate distinguunt, vel nihil per nomen substantiæ intelligunt, vel confusam tantum substantiæ incorporeæ ideam habent, quam falsò tribuunt corporeæ huiusque substantiæ corporeæ veram ideam extensioni relinquunt, quam tamen accidens vocant; atque ita planè aliud efferunt verbis quàm mente comprehendunt. *Ibid. no. 9.*

SCEPTICUS.

De QUANTO hic *Aristoteles de QANTITATE* verba facit *Cartesius* utigitur *omne corpus physicum esse quantum* nemo negat *Aristoteli*; ita *materiam esse extensionem*, seu *corpus esse quantitatem*, adeò simpliciter *Cartesio*, vix concedendum videtur: Quòd hæc sententia judicari queat aliquanto durior cum in re tum in phrasi. In re, nam extensio est id, per quod (juxta ipsum *Cartesium*) materia aut corpus distinguitur à spiritu: atqui oportet aliud esse id quod distinguit, & id quod distinguitur. Ergò aliud est materia ipsa seu corpus, substantia nempe extensa, aliud extensio, quæ materiam, corpus, aut substantiam extensam distin-

distinguit à spiritu, substantia nempe intelligente aut cogitante. *In phrasi*: siquidem durum est dicere, materia est extensio; quin melius dicitur, materia est extensa, sic & rectius dicitur, corpus est quantum, quàm corpus est quantitas, id quod clarius adhuc patebit à simili phrasi eos genere v. g. quis unquam sic loquitur: Homo est rationalitas & non potius, homo est rationalis. Jam autem habet se extensio ad materiam sive corpus physicum (ex mente Cartesii hæc duo non distinguo) ut rationalitas ad hominem, utrobique ratio est, & invenitur differentiae notio, ut enim per rationalitatem homo distinguitur à bruto, ita per extensionem distinguitur materia seu corpus, seu substantia extensa à spiritu, sive substantia intelligente seu cogitante. Quin imò si hæc Cartesii sententia admittatur, mensura ulnæ à panno, ulnâ mensurato non differet nisi ex parte conceptus nostri: Nec quicquam in re ipsa differentiae erit inter massam auri, sive laminam argenti & saxum ejusdem magnitudinis, quoniam magnitudo & numerus idem esset quod corpus numero vel extensione mensuratum. Quæ cum prudentioribus videri queant absurda judicandum ipsis relinquo annon tutius esse videatur cum Aristotele, Accidens à substantia cui inest distinguere, quam hæc duo cum Cartesio confundere?

DUBIUM VI.

*De loco*

ARISTOTELES.

**E**sse autem locum ex translatione patere videtur: ubi namque nunc est aqua, hinc rursus est aër, hinc egressa illa tanquam ex vase. Nonnunquam etiam eundem locum aliud corpus quippiam occupat: hoc autem ab iis omni-

B

bus



bus quæ insunt, atque mutantur, diversum esse videtur. In quonameunque nunc est aër, in eo prius fuerat aqua. Quare patet, locum & receptaculum ipsum aliud quid esse ab utrisque ad quod & ex quo sunt mutata, &c. Præterea qui vacuum esse dicunt, locum asserunt esse, vacuum enim locus erit sanè corpore carens. *Locum igitur aliquid esse præter corpora ipsa, & omne corpus sensibile esse in loco per hæc quispiam sanè putabit, &c:*

Locus enim non perit, etsi ea, quæ in ipso sunt, corrumpantur. Verùm si sit locus existit continuò dubitatio, quidnam sit, utrum moles corporis quædam an alia quædam natura. Est enim genus ipsius primò quærendum. Igitur habet quidem dimensiones tres, longitudinem, latitudinem ac etiam altitudinem, quibus omne definitur nimirum corpus. *At locum impossibile est esse corpus: Erunt enim in eodem corpora duo. 4. Physic. c. 1.*

Meritò autem ex hisce considerantibus difficile esse videbitur, quidnam sit ipse locus cognoscere, si utrumvis horum sit, sive materia sive forma. Nam hæc & summam habent contemplationem & seorsum alterum sine altero facile cognosci non potest. At verò non est difficile videre locum utrumvis horum esse non posse. Neque enim materia neque forma separatur à re: At locus separari potest. In quonamque erat aër, in hoc rursus est aqua, vicissim hisce sibi cedentibus, cæterisque corporibus similiter uti diximus. Quare neque pars est neque habitus ipse locus. Sed à quaque re separabilis est. Etenim quale est vas, tale quid ipse locus esse videtur, vas enim locus est potens transferri. At vas nihil est ejus rei quæ est in ipso. *Locus igitur quo quidem est à re separabilis, hoc forma sanè non est. Quo verò continet hoc à materia est diversus.* Videtur autem semper id  
quod



quod est in loco, aliquid esse, & extra ipsum aliquid aliud esse. *Ibid.* c. 2.

CARTESIUS

*Non etiam in re differunt spatium, si ve locus internus & substantia corporea in eo contenta.* Sed tantum in modo, quo à nobis concipi solent. Revera enim extensio in longum, latum & profundum, quæ spatium constituit, eadem plane est cum illa, quæ constituit corpus: Sed in hoc differenti est, quod ipsam in corpore ut singularem consideremus, & putemus semper mutari, quoties mutatur corpus; in spatio verò unitatem genericam tantum ipsi tribuamus, adeò ut mutato corpore quod spatium implet, non tamen extensio spatii mutari censeatur, sed remanere una & eadem quam diu manet ejusdem magnitudinis ac figuræ: Servatque eundem situm inter externa quædam corpora, per quæ illud spatium determinamus. *Princip. Philos. part. 2. no. 10.*

Et quidem facile agnoscemus, eandem esse extensionem, quæ naturam corporis & naturam spatii constituit, nec magis hæc duo à se mutuo differre, quam natura generis aut speciei differt à natura individui, si attendentes ad ideam, quam habemus alicujus corporis exempli causâ lapidis, rejiciamus ab illa id omne, quod ad corporis naturam non requiri cognoscimus, nempe rejiciamus primò duritiem, quia si lapis liquefiat aut in pulvisculos quàm minutissimos dividatur, illam amittet, neque tamen ideò desinet esse corpus; rejiciamus etiam colorem, quia vidimus sæpe lapides adeò pellucidos, ut nullus in iis esset color; rejiciamus gravitatem, quia quamvis ignis sit levissimus, non ideò minus putatur esse corpus; Ac denique rejiciamus frigus & calorem, aliasque omnes qualitates, quia vel non considerantur in lapide, vel iis mutatis, non

Ideò lapis corporis naturam amisisse existimatur. Ita enim advertemus nihil planè in ejus idea remanere præterquam quod sit quid extensum in longum, latum & profundum, quod idem continetur in idea spatii, non modò corporibus pleni, sed ejus etiam quod vacuum appellatur, *Ib. no. 11.*

Est autem differentia in modo concipiendi, nam sublato lapide ex spatio vel loco in quo est, putamus etiam ejus extensionem esse sublata, ut pote quam ut singularem & ab ipso inseparabilem spectamus: Sed interim extensionem loci, in quo erat lapis, remanere arbitramur, eandemque esse, quamvis jam ille locus lapidis à ligno, vel aquâ, vel aëre, vel alio quovis corpore occupetur, vel etiam vacuum esse credatur. Quia ibi consideratur extensio in genere, censeturque eadem esse lapidis, ligni, aquæ, aëris, aliorumque corporum vel etiam ipsius vacui, si quod detur modo tantum sit ejusdem magnitudinis ac figuræ, servetque eundem situm inter corpora externa, quæ spatium illud determinant, *Ibid. no. 12.*

Quippe nomina loci aut spatii non significant quicquam diversum à corpore quod dicitur esse in loco, sed tantum ejus magnitudinem, figuram & situm inter alia corpora designant. Et quidem ut ille situs determinetur, respicere debemus ad alia aliqua corpora, quæ ut immobilia spectemus, &c. & paulò post, nempe loci determinationem ab immotis quibusdam cœli punctis desumemus. Sed si tandem cogitemus, nulla ejusmodi puncta verè immota in universo reperiri, ut probabile esse infra ostendetur; inde concludemus, nullum esse permanentem ullius rei locum, nisi quatenus à cogitatione nostra determinatur. *Ibid. no. 13.*

SCE.

Perspicienti hæc de loco, ex utroque hoc Philosopho adducta loca prima statim fronte apparebit facilè, cardinem dissensus ac controversiæ circa hanc materiam versari in hac quæstione: *An locus sit idem cum corpore locato, an aliquid ab ipso diversum?* Prius multis verbis persuadere nititur Cartesius: Posterius apertè affirmat Aristoteles, argumentisque sibi probâsse videtur, potissimum ab absurdo, quod ajunt deductis. Per nos maneat utriusque sententiæ suus honos; videtur tamen non simpliciter ita Cartesio posse concedi. Locum cum corpore locato esse unum idemque naturâ, nec nisi solo conceptu nostro illorum unum ab altero differre, cum juxta hanc sententiam corpus in se ipso locaretur, quod est absurdum. Neque etiam locus includitur in definitione corporis; Locus igitur erit aliquid præter corpora ipsa in loco collocata, uti Aristoteles pluribus rationibus evincit; Nec incogitanter addit: Locus non perit, etsi ea, quæ in ipso sunt, corrumpantur: unde *Cl. Sperlingius* in sua physica inter alias loci conditiones etiam recenset permanentiam loci, etiam sublata re, pereunt quippe locata, salvo loco. Sic corpus etsi uno tempore non nisi uno in loco esse potest diversis tamen temporibus diversis in locis esse potest. Locus igitur corpore non mutato mutatur, quare non est idem cum corpore: Neque videtur posse Cartesium juvare istos conceptus, quos de triplici dimensione sive extensione in longum, latum & profundum format, multisque verbis urget: hoc enim facilè largitur Aristoteles, uti ex ejus allegatis patet, quòd locus quidem habeat dimensiones tres, longitudinem, latitudinem ac etiam altitudinem, & quòd iisdem definiatur corpus. Interim tamen locum esse corpus, aut

corpus locum reputat impossibile, quod eodem modo forent in eodem loco corpora duo. Quod si autem ad istiusmodi paradoxa probanda sufficit illa toties à Cartesio iaudata fictio sive imaginatio nostra, quam cogitationem heic vocat: erit hoc argumentum ad quævis opinionum monstra inducenda validissimum: At vix ac ne vix quidem ab omnibus concessum. Quæ verò in adductis his & proximè sequentibus paragraphis de spatio adfert Cartesius, iisque spatium cum loco confundere videtur; in eo fortean Scaligerum secutus est authorem, qui dudum ante locum non per superficiem, sed per spatium quod occupat, definivit. Nec hoc quidem omnino videtur reprehendendum, ut ut tamen non nihil planè differant spatium & locus, neque enim si omnis locus in spatio, idcirco & omne spatium locus est, de quibus plura legi poterunt apud *Cl. Timplerum in Physic. & alios*. Quæ etiam de *vacuo* hoc loci habet Cartesius, reapse nihil diverſi inferre videntur ab Aristotelis de hac materia sententiâ, unde plura hunc in modum nunc non superaddimus. Quin Lectorem curiosum ad *Cl. Maresii systema* remittimus ubi *loco quinto §. 18.* ejusque in notis inveniet quod ad refellendam Cartesii sententiam posſit, nostro equidem iudicio, esse satis.

## DUBIUM VII.

*De tempore.*

**N**ota: De Tempore cum hætenus nobis non occurrat locus in Cartesii scriptis ubi manifestè Aristotelis de Tempore sententiæ contradicat, quin potius illa, quæ ad speciem aliquam contrarietatem inferre videri queant loca per solam distinctionem (quòd nempe *Aristoteles de Tempore Externo: Cartesius verò de Interno* sit intelligendus)

con-

conciliari facile queant: Neque etiam hæc ipsa Aristotelis  
de Tempore sententia nobis apodicticè defendi posse vi-  
deatur, quòd Textus hic sic satis sibi habeat contradicen-  
tes, quos refutare nunc nostri non opus est Scopi;  
idcirco sine ulteriori mora transitum  
faciamus ad alia.



COROLLARIA RESPONDENTIS.

1. Nihil est à se ipso.
2. Ex nihilo nihil fit.
3. Materia est vera causa.
4. Materia habet propriam existentiam.
5. Unum corpus non potest esse simul in pluribus locis.
6. Sceptici sunt philosophi olim ἐσκητικοὶ sive ἀσθεντικοὶ Græcis; con-  
sideratores & Sceptici Latinis dicti.
7. Malè ergò distinguitur inter Philosophos & Scepticos.
8. Nec Cartesio credimus quod hi tantum dubitarint ut dubitent &  
præter incertitudinem ipsam nihil querant.
9. Quod affirmat Scriptura Sacra id affirmet & physicus. quod negat ne-  
get. Quo de tacet taceat neququam.
10. Ad cognoscendas Elementorum qualitates certiore sensibus ipsis  
iudicem adhibere non possumus.
11. Ignem esse per se calidissimum sensus & experientia probant.
12. Sensum dimittere in eis quæ sensibus manifesta sunt, & rationem  
querere, infirmitas intellectus est.



**A**Rdua Heroum GUDENUS iurgia tractans;  
Natus ad alta probat magna que fuerit.  
Altius assurgas faxit mox gratia cœli;  
Et Laurum factis promereare precor!

Sic Doctissimi Parentis filio docto animitus  
gratulabatur

PRÆSES.



**O**Mnia pro libitu' mundi perversa voluntas  
 Torquet, & ad placitum dogmata quisque trahit  
 Multi multa vibrant plenis convicia buccis:  
 In Mystas veri tela minasque movent.  
 Tu verò vero pullas adversa GUDENI,  
 Et quæ sunt verò consona, ritè probas.  
 Perge bonis ausis defendere docte GUDENI  
 Doctrinam hanc claram, grator id ergò Tibi.

*Paucis hisce Præstantissimo atq; Doctissimo  
 Domino Respondenti amicâ manu  
 gratulari voluit*

M. JOHANNES HEYMELIUS,  
 S.S. Theol. Cultor.

**A**siduo studio qui docta reperta Sophorum  
 Pertractat, pretium grande laboris habet.  
 Pergas GUDENI summam invadito laudem  
 Hocce est quod voto, gratulor ipse Tibi.

*Itæ Præstantissimo ac Doctissimo Domino Respon-  
 denti, commensali atque amico suo suavissi-  
 mo in arenam disputatoriam prodeunti gra-  
 tulabatur*

JOHAN DANIEL CLAUSIUS,  
 S.S. Theol. Stud.

**S**i juvenem clarat famâ venerandus Apollo  
 Coram cœlitibus terrigenisque sacrâ;  
 Dispercam, nisi tu sis, unice & une GUDENE,  
 O sanctum & penitus mercuriale caput!  
 Qui summo studio conaris tollere rixas,  
 Hincce Tibi veniet gloria, laus & honor.

*Hæc paucula in honorem Doctissimi Domini  
 Respondentis, Conterranei gratissimi  
 apposuit*

JOHANNES NICOLAUS WEBER/  
 Phil. Stud.

01 A 66 06

ULB Halle 3  
002 937 204



Sb.

V 17







2

PHYSICI SCEPTICI  
*Hoc est*  
DISQVIVITIONVM

de præcipuis controversiis inter ARISTOTE-  
LEM & CARTESIUM vulgò habitos Philosophiæ  
veteris & novæ Principes, hoc tempore agitatis  
CONTINUATIO

PRIMA,

*Quam*

*Aspirante propitii Numinis aura*  
Sub UMBONE

VIRI Nobilissimi, Excellentissimi atq; Experientissimi,  
DN. HENRICI MAJI,  
Med. Doct. ejusdemque & Physices Professoris  
Ordinarii, nec non Celsissimi Principis Hasso-Cassellani  
Archiatri, atque Facultatis Philosoph. p.r. DECANI, Domini  
Præceptoris, Patroni & Promotoris sui, eâ, quâ par  
est, animi observantiâ perpetuo  
colendi,

*In Collegio ad Nudipedes, quod est Philosophorum,  
Ad diem 3. Martii horis consuetis,  
Exercitii causâ publicè defendet*

MATTHÆUS GUDENUS,  
HASSO-HOMBERGENSIS.

MARBURGI CIATTORUM,  
Typis SALOMONIS SCHADEWITZ II, Acad. Typogr.  
Anno 1677.

